

fraude, vel ex metu, vel ex praeiudicatis opinionibus. Ergo argumentum morale pro Dei existentia minime valet.

55. Resp<sup>e</sup>, neg. ant. Et sane 1° tantum abest, ut persuasio de Dei existentia sit commentum ex ignorantia caussarum naturalium natum, ut e contrario rerum physicarum peritissimi eamdem acrius tueantur<sup>1</sup>. Qua in re verissimum est illud Verulamii effatum: « Philosophia obiter libata a Deo abducit; penitus hausta reducit ad eundem ». 2° Sacerdotes, et legum latores huic opinioni originem dare non potuerunt. Nam sacerdotum institutio opinionem Divinitatis colendae subaudit. Legislatores autem si hanc fabulam confinxissent, qui factum est, ut omnibus in toto orbe aequaliter in mentem veniret; et cum aequali ubique successu propagaretur? Sane religio a legislatoribus conficta gravissimum onus foret hominibus impositum: putamus ne tam molesto medio populos ad subiectionem compelli posse? E contrario, uti historia nos docet, legislatores, cum viderent plebem ad religionem propensissimam, Deorum, quos ipsa ante venerabatur, auctoritate leges suas constabilire adlaborarunt. Denique cur haec imperantium fraud a sapientiori aliquo detecta numquam fuit? 3° Numquam timor in hominum mentibus ideam Dei ingenerare potuisse, nisi iam ipsi imbuti essent notionibus iusti, et iniusti, ac proinde notione supremi Legislatores, qui iniustas actiones prohibet, atque ab illas patrantibus poenas repetit. Hinc patet timorem esse religionis effectum, non caussam. Quinimmo timor atheismum induxisse potius dicendum est; nam scelesti homines, ut, excusso timore, liberius peccarent, sibi persuadere conantur nullum esse Deum flagitorum vindicem. 4° Nullus prorsus praeiudicij character in persuasione de Dei existentia adest; sed contraria prorsus omnia obtinent. Praeiudicia enim in quibusdam nationibus, numquam in toto genere humano eadem inveniuntur; diuturnitate temporis, et scientiarum cultura maius robur non accipiunt; a sapientioribus persaepe agnoscuntur, et cognita corrigitur. E contrario, opinio de existentia Dei per totum orbem diffusa, saeculorum progressu magis, magisque innotuit, eamque ipsi quoque sapienes, quorum est praeiudicia corriger, constanter tenuerunt.

<sup>1</sup> Vid. p. 301, not. 1, et 2.

## CAPVT II.

## De natura Dei

## ART. I. Dei naturam infinite perfectam esse ostenditur

56. Ex ipsa existentiae Dei demonstratione colligitur Ipsum esse Causam Primam, quae ab alia non pendet, et ideo a se ex necessitate suae naturae existit. Iam ex hoc, quod Deus est Causa Prima, quae a seipso est, Ipsum infinite perfectum esse oportere planis argumentis conficitur. Quod cum ita se habeat, nostrum est primo illud enucleare, quod Deus ex necessitate suae naturae a se existit, deinde infinitam Eius perfectionem evincere.

57. Prop. 1°. Deus est ex necessitate naturae a seipso.

Probatur. 1° Deus ex necessitate suae naturae existit. Etenim: « Omne, quod est possibile esse, et non esse, indiget aliquo alio, quod faciat ipsum esse, quia quantum est in se, se habet ad utrumque. Quod autem facit aliquid esse, est prius eo. Ergo omni, quod est possibile esse, et non esse, est aliquid prius. Deo autem non est aliquid prius. Ergo non est possibile Ipsum esse, et non esse, sed necesse est Eum esse<sup>2</sup> ». 2° Existit a se. Et sane, in iis, quae ita sunt necessaria, ut causam suae necessitatis habeant, hanc causam priorem eis esse oportet. Atqui nihil prius Deo esse potest. Ergo Deus non habet causam suae necessitatis, ac proinde ita necessario est, ut a se, et non ab alio sit<sup>2</sup>.

58. Ex hac propositione illud, veluti corollarium, infertur, quod *Esse Dei* sit ipsa Eius Essentia. Etenim illud, cuius esse est aliud ab essentia, aliquam sui esse causam agnoscit. Cum igitur Deus habeat esse a se, et non ab aliqua causa, dicendum est Eius *Esse* esse ipsam Eius essentiam<sup>3</sup>. Hinc Deus dicitur *ipsum esse per se subsistens*, ita nempe, ut per ipsam suam essentiam existat.

59. Prop. 2°. *Divina Natura omnes possibles perfectiones complectitur.*

Probatur. 1° Deus est rerum omnium, quae sunt, et esse possunt, prima causa efficiens. Atqui quidquid perfectionis est in

<sup>1</sup> Opusc. III, Compendium Theol., c. 6. — <sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> I, q. III, a. 4 c.

effectu, *actu* in causa efficiente inveniatur oportet. Ergo rerum omnium possibilium perfectiones in Deo existere debent. 2<sup>o</sup> Cum Deus sit ipsum esse per se subsistens, nihil de perfectione *essendi* Ei deesse potest, ac proinde habet esse secundum perfectam rationem<sup>1</sup>. Atqui habere esse secundum perfectam rationem, idem est, ac omnibus pollere perfectionibus; nam, cum perfectiones esse denotent, e. g., iustitia esse iustum, sapientia esse sapientem etc., ubi erit tota plenitudo *essendi*, et totius esse latitudo, ibi erit omnis perfectio. Ergo.

60. Prop. 3<sup>o</sup>. *Deus est simpliciter infinitus, ita ut nullus in Eius esse, et perfectionibus limes assignari possit.*

*Probatur.* 1<sup>o</sup> Deus, uti antea diximus, esse secundum perfectam rationem habet. Atqui limites non aliud, quam aliquem defectum *essendi* denotant. Ergo in *Esse*, et *Perfectionibus* Dei nullus potest limes praestitui. 2<sup>o</sup> Omnis actus, et perfectio terminis definitur vel intrinsece ex subiecto, in quo recipitur, *quidquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur*, vel extrinsece a causa, a qua producitur. Atqui *Esse*, et *Perfectiones* Dei neque in aliquo subiecto recipiuntur, quia Deus, quemadmodum a nobis ostensum est, est *ipsum suum esse subsistens*<sup>2</sup>, neque ab aliqua causa pendent. Ergo<sup>3</sup>.

#### ART. II. *Hegelianorum error circa Dei infinitatem refellitur*

61. Secundum Hegelium, aliosque Transcendentales Germaniae, quibus in Gallia Vacherotus, Renanus, aliisque se adiunxerunt<sup>4</sup>, *Absolutum*, sive Deus ea ratione infinitus, seu *indeter-*

<sup>1</sup> S. Thomas id exemplo *caloris*, et *calidi* declarat: « Manifestum est, quod si aliquod calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est, quia calor non participatur secundum perfectam rationem; sed si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris: unde, cum Deus sit ipsum esse per se subsistens, nihil de perfectione *essendi* potest Ei deesse »; I, q. IV, a. 2 c.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. VII, a. 1 c.

<sup>3</sup> Deum esse ens omnium perfectissimum ex communi etiam tam doctorum, quam indoctorum sensu manifestum est. « Omnes, inquit s. Augustinus, certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credit esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt »; *De Doct. Christ.*, lib. I, c. 7, n. 7.

<sup>4</sup> Cf. Andr. Pezzani, *Examen des questions actuellement pendantes en phil. rel.*, Etud. 1<sup>e</sup>, § 2, p. 38 sqq., Paris 1859.

*minatus* est, ut aliquid reale, seu, ut aiunt, *personale* esse non possit.

62. Prop. *Absurdum est Deum esse infinitum ea ratione, qua ab Hegelianis explicatur.*

*Probatur.* Sciendum in primis est *indeterminationem* esse vel *privativam*, vel *negativam*. Privativa ea est, qua ens, cum actu non sit hoc, vel illud ens, seu ens individuum et singulare, natura sua ita comparatum est, ut hoc, aut illud ens esse, sive per hoc, aut illud ens determinari queat. Negativa vero ea est, qua aliquid est simpliciter ens, quod per se subsistit, quodque idcirco, cum sit ipsum esse per se, per illum singulare ens determinari non potest. Quocirca ens *privative indeterminatum* est maxime abstractum, seu ideale; e contrario ens *negative indeterminatum* est maxime concretum, seu realissimum.

63. His praemissis, si Deus esset infinitus ea ratione, qua ab Hegelianis traditur, Ipse *privative indeterminatus* foret dicendus. Atqui Deus non iam *privative*, sed *negative indeterminatus* dici potest. Ergo. Et sane infinitum privative acceptum denotat, ut s. Bonaventura inquit, privationem perfectionis<sup>4</sup>; et est *infinitum potentia passiva, sive receptiva*: unde Deo convenire non potest, quippe qui *tantum est actus, et actus purus et perfectissimus*<sup>2</sup>. Apposite s. Thomas: « Infinitum primo modo acceptum Deo convenire non potest. . . , quia omnis privatio imperfectionem designat, quae longe a Deo est<sup>3</sup> »; sed « Deus dicitur infinitus negative, quia scilicet Eius Essentia per aliquid non limitatur. Omnis enim forma in aliquo recepta terminatur secundum modum recipientis; unde cum esse Divinum non sit in aliquo receptum, quia Ipse est suum esse; secundum hoc, Esse suum non est finitum, et pro tanto dicitur Eius essentia infinita<sup>4</sup> ».

64. Ex his etiam intelligitur, qua ratione Deus aliquid determinatum dici possit. « Aliiquid dicitur determinatum duplenter; primo modo, ratione limitationis; alio modo, ratione distinctionis. Essentia autem Divina non est determinata primo modo, sed secundo modo<sup>5</sup> ». Sane in Deum, utpote qui est ipsum

<sup>1</sup> In lib. I Sent., Dist. I, a. 1, q. 3 ad arg.

<sup>2</sup> Ibid., Dist. XLIII, a. 1, q. 1 ad arg.

<sup>3</sup> Qq. dispp., *De Pot.*, q. 1, a. 2 c.

<sup>4</sup> Op. cit., *De Ver.*, q. II, a. 2 ad 5. — <sup>5</sup> Quodlib. VII, a. 1 ad 1.

esse purum subsistens, et actuale, nulla determinatio limitatio-  
nis cadere potest. At determinatio, si altera significatio-  
natur, attribuenda quidem Deo est. « In Essentia Divina, per-  
git Aquinas, non est aliquid in aliō receptum, eo quod Esse Eius  
est ipsa Divina Natura subsistens, quod in nulla alia re contin-  
git; nam quaelibet res alia habet esse receptum, et sic limita-  
tum; et inde est quod Essentia Divina ab omnibus distinguitur  
per hoc, quod est in alio non recipi. . . . Patet ergo quod  
Essentia Divina non est quid generale in essendo, cum sit ab  
omnibus aliis distincta <sup>1</sup> ».

65. Obiic. Infinitum totum esse in se complectitur. Ergo a  
nulla re, quae extra Ipsum sit, distingui potest.

66. Resp. Neg. cons. Et sane, summa perfectio, quae totum  
esse continet, minime prohibet, quominus Deus ab aliis extra  
Ipsum distinctus dicatur; siquidem Deus totum esse continet,  
non quatenus Eius esse cum esse, quod proprium rebus extra  
Ipsum est, confunditur, eas enim perfectiones, ex quibus haec  
constituantur, ut mox dicemus, diversa prorsus ratione Deus  
complectitur; sed quia eiusmodi est, ut nihil addi Ipsi queat,  
per quod ad aliquem modum entis determinetur; ex hoc ipso  
autem, quod non recipit aliquam additionem, individuat, et  
a cunctis aliis dividitur <sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Ibid. Hinc alibi (*In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 1 ad 2) ait, Deum  
per suum Esse absolutum non tantum esse, sed aliquid esse. Unde monet  
cavendum esse ab illorum errore, « qui Deum dixerunt esse illud esse uni-  
versale, quo quaelibet res formaliter est. Hoc enim esse, quod Deus est,  
huius conditionis est, ut nulla sibi additione fieri possit. Unde per ipsam  
suam puritatem est esse distinctum ab omni esse; propter quod in Com-  
mento nonae Propositionis libri de Causis dicitur, quod individuatio Pri-  
mae Causae, quae est esse tantum, est per puram Bonitatem Eius »; *De  
ente et ess.*, c. 6; cf *Ontol.*, c. VII, art. 3, p. 46-47. Adnotanda, autem  
sunt illa verba, ut nulla sibi additione fieri possit. Etenim id, quod commu-  
ne est, vel universale, consideratur quidem sine additione, sed sine addi-  
tione esse non potest; e.g., « animal non potest esse absque rationali vel  
irrationali differentia, quamvis sine his differentiis cogitetur ». Insuper  
universale, « licet cogitetur absque additione, non tamen absque recep-  
tibilitate additionis est: nam si animali nulla differentia addi posset, genus  
non esset ». E contrario, « Divinum Esse est absque additione non solum  
cognitione, sed etiam in rerum natura; et non solum absque additione,  
sed etiam absque receptibilitate additionis »; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 26.

<sup>2</sup> Qq. dipp., *De Ver.*, q. XXI, a. 4 ad 9.

ART. III. Quanam ratione perfectiones creaturarum  
Deo sint attribuendae

67. Perfectionum aliae dicuntur *absolute*, vel *simpliciter sim-  
plices*, aliae *secundum quid*. Piores sunt, quae secundum pro-  
priam notionem consideratae nullam includunt imperfectionem,  
neque cum meliori perfectione pugnant, e.g., *vila*, *sapientia*.  
Postiores vero sunt, quae licet intra genus suum perfectae sint,  
tamen in ipso sui conceptu aliquem complectuntur defectum,  
et cum aliis excellentioribus pugnant; e.g., *esse corpus* <sup>1</sup>.

68. Iam perfectiones, quae purae, et simplices sunt, si spe-  
ciantur secundum illud, quod in sui conceptu denotant, *for-  
maliter*, hoc est, aiente s. Thoma, secundum *verissimam sui ra-  
tionem* <sup>2</sup>, in Deo continentur, secus Deus infinite perfectus non  
asset. E.g., *sapientia*, si consideretur in sui conceptu, prout  
nempe est cognitio per altissimas causas attingens simul unico  
actu principia, et conclusiones, formaliter in Deo reperitur,  
quia nihil imperfectionis in se claudit. Hinc Deus absolute bo-  
nus, iustus, sapiens appellatur. Ob eamdem rationem perfectio-  
nes secundum quid, cum in ipso sui conceptu defectum aliquem  
includant, non *formaliter*, sed dumtaxat *eminenter*, excellen-  
tiori nempe ratione. Deo sunt attribuendae.

69. Diximus perfectiones absolute simplices in Deo *formaliter*  
contineri, si considerentur *secundum illud, quod in sui conce-  
ptu denotant*. Nam si spectentur secundum eam rationem, qua  
in creaturis sunt, plures complectuntur imperfectiones; e.g.,  
sunt qualitates, quae intendi, et remitti possunt, limitibusque  
circumscribuntur; ac proinde non secundum eam formam, qua  
in creaturis existunt, sed modo eminentiori in Deo continentur.  
Quapropter statuendum est perfectiones creaturarum, cuiuscum-  
que generis sint, eminentiori ratione Deo esse attribuendas. O-  
portet quod omnes nobilitates omnium creaturarum invenian-  
tur in Deo nobilissimo modo, et sine aliqua imperfectione <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Cf s. Anselm., *Monol.*, c. 13.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. 1, a. 2 sol.

<sup>3</sup> Ibid. Hinc Areopagita docet omnia de Deo affirmari quodammodo, et  
negari, Illumque vocat *omnium positionem*, et *omnium ablationem*; quia  
eminenter ponit omnia, tamquam omnia continens, et formaliter omnia  
aufert, quia omnem rationem formalem creatam, et finitam a se exclu-

70. Ex his intelliges, quod sicut tempus additum aeternitati durationem ipsius non auget, quia omnes durationes illi inferiores in ea eminentissimo modo continentur; ita Deus, et creaturae non sunt aliquid perfectius, quam solus Deus, quia tota creaturarum perfectio in Deo perfectissime continetur<sup>1</sup>. Auditur Aquinas noster: « Bonum creatum additum bono increato non facit aliquid maius; quia si duo participantia coniungantur, augeri potest in eis quod participatur, sed si participans addatur ei, quod per essentiam est tale, non facit aliquid maius; sicut duo calida adiuncta ad invicem possunt facere magis calidum; sed si esset aliquid, quod esset calor per essentiam subsistens, ex nullius calidi additione intenderetur. Cum ergo Deus sit ipsa essentia Bonitatis, omnia autem alia bona per participationem, ex nullius boni additione fit Deus magis bonus, quia cuiuslibet rei alterius bonitas continetur in Ispo<sup>2</sup> ».

ART. IV. *Modus exponitur, quo Dei natura a nobis cognoscitur*

71. Ex iis, quae adhuc de Divinis Perfectionibus delibavimus, quonam modo ad illarum cognitionem perveniamus, facile est coniicere. Sane ex ipsa existentiae Dei demonstratione colligimus, ipsum esse Causam Primam, quae ab alia non pendet, atque ideo ex necessitate suae naturae existit. Ex hoc antem, quod Deus est omnium Causa Prima, quae a seipsa est, ad investigandas Eius perfectiones gradum facimus. Modus, quo hanc investigationem instituere nobis licet, ex iam dictis etiam perspicitur, atque ab Aquinate nostro docetur iis verbis: « Ex creaturis potest in Deum deveniri tribus modis, scilicet per causitatem, remotionem, eminentiam<sup>3</sup> ». Sane, cum omnis per-

dit; *De Div. Nom.*, c. 13. Et s. Augustinus: « Omnia possunt dici de Deo, et nihil digne dicuntur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quaeris congruum nomen, non invenis; quaeris quoquo modo dicere, omnia invenis »; *In Ioan. Ev.* c. III, tract. XIII, n. 5.

<sup>1</sup> Adnotandum hic est cum s. Thoma eminentiorem illum modum, quo Deus creaturarum perfectiones in se complectitur, non solum de communibus, et genericis, sed etiam individualibus earum rationibus esse intelligentum. « Omnia in Deo praexistunt, non solum quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quae res distinguuntur »; I, q. XIV, a. 6 c.

<sup>2</sup> Qq. disp., *De malo*, q. V, a. 1 ad 4.

<sup>3</sup> In lib. I Sent., Dist. III, q. I, a. 3 sol. « Deum, alibi ait, cognoscimus

fectio, quae effectibus continetur, eminentiori modo Causa Prima contineatur necesse sit, conamur a Deo amoliri imperfectiones illas, quas in creaturarum perfectionibus admixtas videsmus, simulque creaturarum, perfectiones sine ullo limite ipsi Deo attribuere. E. g., nos removemus a Deo rationem corporis, mutationem, omnem temporis differentiam, et Deum incorporeum, immutabilem, aeternum esse dicimus. Rursus, ex eo quod sapientiam, bonitatem, et iustitiam in creaturis perspicimus; has, quam maxime possumus, augemus, Deumque infinite bonum, sapientem, iustum profitemur, quia Prima Causa, uti iam ostendimus<sup>4</sup>, cum sit a seipsa, omnem puram perfectionem, realitatemque ita in se complectitur, ut terminis nullis coarctetur.

72. Huiusmodi methodo, qua Divinae naturae cognitionem attingimus, illa respondet, qua, secundum Areopagitam, Deus per affirmationem et negationem a nobis cognoscitur, et quidem *magis proprie* per negationem, quam per affirmationem<sup>2</sup>. Et sane, quemadmodum s. Thomas argumentatur, « Divina substantia omnem formam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit; et sic Ipsam apprehendere non possumus cognoscendo quid est, sed aliqualem Eius habemus notitiam cognoscendo quid non est. Tanto enim Eius notitiae magis approximamus, quanto plura per intellectum nostrum ab Eo poterimus removere<sup>3</sup> ». Hinc s. Augustinus: « Facilius, inquit, dicimus quid (Deus) non sit, quam quid sit. Terram cogitas; non est hoc Deus: mare cogitas; non est hoc Deus: omnia, quae sunt in terra . . . ; non est hoc Deus: omnia, quae sunt in mari, quae volant per aërem, non est hoc Deus; quidquid lucet in coelo, . . . , ipsum coelum, non est hoc Deus: Angelos cogitas. . . , non est hoc Deus. Et quid est? Hoc solum potui dicere, quid non sit<sup>4</sup> ».

73. Verum, quamvis notitia, quae negatione constat, magis congrua, quam quae affirmatione, dicenda sit, non ideo tamen cum Iul. Simon<sup>5</sup>, aliisque inferendum est nihil de Dei natura

ut causam, et per excessum, et per remotionem<sup>6</sup>; I, q. LXXXIV, a. 7 ad 3. Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. 1, a. 1, q. 2.

<sup>1</sup> P. 310. — <sup>2</sup> *De myst. Theol.*, c. I; cf loc. cit. p. 313, not. 3.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. I, c. 14. — <sup>4</sup> *Enarr. in Ps.* LXXXV, n. 12.

<sup>5</sup> *La Religion naturelle*, par. 1, c. 2, p. 34 sqq, Paris 1837.

a nobis sciri posse. Etenim cum ea, quae creaturis insunt, de Deo negantur, Ipsa excellentia perfectionis quovis defectu immunis adscribitur, ac proinde illae negationes abundantiam, et excessum praeseferunt. Apposite sanctus Damascenus, postquam enuntiavit « convenientius esse ita de Deo aliquid praedicari, ut Ei omnia detrahantur, quippe nihil est eorum, quae sunt »; subdit, « non ut nihil sit, sed ut sit supra omnia, quae sunt, immo vero supra ipsum esse<sup>1</sup> ».

74. Nisi quod, ut ex iam dictis patet, haec, quam de summa Natura Divina per rationem naturalem nobis comparamus, cognitio nonnisi admodum manca, et rudis est; siquidem mens nostra ad naturalem cognitionem Dei nonnisi per similitudines a rebus creatis arreptas assurgere potest; *per effectus autem non proportionatos causae non potest perfecta cognitio de causa haberri*<sup>2</sup>. Quapropter « ultimum, et perfectissimum nostrae cognitionis in hac vita » in hoc consistit, quod « de Deo cognoscimus quia est, et quod causa aliorum est, et aliis supereminens, et ab omnibus remotus<sup>3</sup> ».

ART. V. *Quaenam ex Divinis Perfectionibus veluti Essentiam Dei constituens a nobis intelligatur*

75. Perfectio illa, quam primam in unaquaque re esse concipiatur, ac veluti radicem ceterarum ipsius perfectionum, atque per quam res a ceteris distinguitur, *essentia* appellatur. Iam etsi perfectiones omnes in Deo, uti mox demonstrabimus, Eius Essentiam constituant, tamen nobis, qui non possumus Eas unimentis intuitu complecti, inquirere licet, quaenam ex ipsis tamquam Divinam Essentiam constituens spectari possit.

76. Prop. *Aseitas, sive esse a se tamquam Essentiae Divinae constitutivum assignari potest.*

*Probatur.* Aseitalem tamquam aliquid primum in Deo esse concipiimus; nam si aliud prius *aseitale* in Deo esse cogitari posset, esse a se tamquam ab alio fluens intelligendum foret; id quod absurdum est. Deinde *Aseitas* est ratio Deum distinguens ab omni eo, quod Deus non est; nam, ut recte s. Thomas inquit, « ex hoc ipso Esse Dei ab omnibus aliis distinguitur, quia nihil Ei addi potest<sup>4</sup> »; ideo autem nihil Deo addi potest, quia

<sup>1</sup> *De Fide orthod.*, lib. I, c. 4. — <sup>2</sup> Cf p. 300.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 49. — <sup>4</sup> *Ibid.*, lib. I, c. 26.

est Ipsum esse, et proinde *Ens a se*. Denique *Aseitas* ut ex primo articulo constat, tamquam ratio intelligitur, ex qua omnes perfectiones in Deo esse debeant. « Ex hoc, ait idem Aquinas, quod Deus est ipsum esse per se subsistens... oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat<sup>1</sup> ». Ergo.

77. Accedit, quod, docente s. Hilario, « nobis loquendum non aliter de Deo, quam ut Ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est<sup>2</sup> ». Iam Moysi interroganti, quis esset, respondet: *Ego sum, qui sum. Sic dices filii Israel: Qui est, misit me ad vos<sup>3</sup>.* Quibus verbis tamquam proprium Naturae suae characterem, ens per essentiam, ab alio independens, nempe *aseitatem* a nobis concipiendam esse designavit<sup>4</sup>.

### CAPVT III.

#### De attributis Dei, et primum de iis, quae absoluta dicuntur

78. Perfectiones, quas ab Essentia Dei secundum nostrum concipiendi modum manare intelligimus, *Attributa Dei* nominamus. Ex iis quedam dicuntur absoluta, uti *Sapientia*, *Bonitas*, atque hoc nomine ab iis distinguuntur, quae appellantur *relativa*, quia aliquam Dei perfectionem significant cum relatione ad creaturas, vel potius cum relatione creaturarum ad Deum; siquidem, uti alibi adnotavimus<sup>5</sup>, creature realis ad Deum habent relationem, non Deus ad illas. De his pauca attingemus, ceteraque Theologis disputanda relinquimus.

ART. I. *De simplicitate Dei*

79. Nomine *simplicitatis* illud attributum intelligimus, quo a Deo quaecumque compositio sive *physica*, sive *metaphysica*, sive *logica* removetur. *Compositio physica* ea est, quae ex partibus re ipsa distinctis exurgit. *Metaphysica* pertinet ad ea omnia, in quibus *potentia* et *actus*, *substantia* et *accidentia*, *essentia* et *existentia*, atque *attributa* distinguuntur. Denique *compositio logica* dicitur de rebus, quatenus haec sub aliquo genere continentur, ita ut ex genere, et differentia constant.

<sup>1</sup> I, q. IV, a. 2 c. — <sup>2</sup> *De Trin.*, lib. V.

<sup>3</sup> *Exod.* III, 14. — <sup>4</sup> Cf s. *Damasc.*, *De Fide orthod.*, lib. I, c. 12.

<sup>5</sup> Cf *Log. par.* I, c. I, art. 8, p. 18, vol. I.